EN PRISCIANVS VERBERANS ET VAPVLANS.

Jam publicato verberans *aures ſtylo,*
Quâ peius iterum vapulet, *metuit criſin.*

LONDINI
Excudebat AVGVSTINVS MATHEWES impenſis
ROBERTI MYLBOVRNE ad inſigne Cani, venaticli in cœmeterio Paulino. 1632.

DE PRISCIANO ἀντιπαρημένῳ.

AD AVTHOREM

QVi facis ex parvis sublimia carmina nugis,
Qualia divino fudit ab ore *Maro*,
Materiæ quantum deerat, mihi crede, nitoris
Addidit ingenij vena benigna tui.

AD LECTOREM.

HVc quicunque venis, subolebit quandò legenti
Subjectum metri, Lector amice, novi;
Agnosces, (si non mecum sentire pigebit)
Materiam longè quòd superavit opus.

Ad Authorem sub Nisi *nomine latentem.*

MVulti sæpe rogant ignoti nominis umbram
Cur quæras, quos fraus ingeniosa latet.
At mihi si veniam dederis, qui, nomine ficto,
Euryalus tibi sim, tu mihi *Nisus* eris.

ALEX. GIL *jun.*

De Priscianographo crisis Prognostica.

PRurit Musa mihi, calamusq; & lingua legenti,
Quæ tua facta probant, sed tua fata dolent.
Quamvis nulla mihi sit merx Ploidonica, *quamvis*
Non sim Iuridicus, Iuridicaster ero.
*Ad** bis sex Pariles *lex advocat Anglica litem:*
Esto Scholarchalis calculus iste chori.
Vel, solita ut fiat peregrinæ gratia linguæ,
Nostrum * *dimidiâ parte adhibento gregem.*
Virgiferum * *absolvet censoria virgula* Nisum,
Et merito ornabit carmine versificum.

I. LEVCVS ὁμότεχνος.

* 12 liberos & legales homines.

* Medietas linguæ.

* Not gusty.

Ad κοπροχρυσοῦντα.

SVavia nonnulli lutulento carmine narrant:
Turpia tu nitido. Nise *poeta places.*

Some cloath faire tales in sluttish eloquence.
Thy tale is foule: thy verse is Frankinsence.

T. LOVERING *Artium,*
Ludiq; Magister.

Dignum dolio operculum.

T*Rojæ* Caballus, & *Scholæ* pari fato
Vterq; juxta purus est, & impurus.
Sordes easdem passus ille ab armatis,
Hic & ab inermi. Par medela purgavit.
Nam fonte uterq; lotus est *Caballino.*

GAGVINVS NASH Magister Artium.

Τετραστιχὸν ad τετραπλήκτην.

PRo tercentenis haud fas hic carmina centum,
Ne nimium domui porta sit amplia tuæ.
Æquius est plagis pro quatuor addere versus
Quattuor. Officij sit modus iste mei.

St. Hu.

PRISCIANVS VERBERANS ET VAPVLANS.

Pierides *ſuadela Scholæ, tutela Scholarchæ,*
Dicite Virgiferæ nova prælia, dicite Muſæ.

PInguibus in populi, qui dicitur [a] *Auſtri-cus*, arvis,
Præturam, faſces, lictores nuper adepta
[b] Villa antiqua, novo jam *Burgi* turget honore:
Omnia magna illic (meliora prioribus annis:)

[a] In agro *Sedovolgorum.*

[b] Nomen *Elda* Cancrorum idiomate.

Et nova multa illìc. Molli de vellere veſtem
Iam ſibi [c] pannifices ad publica munia texunt.
Et, qui curta modò geſtabant pallia patrum,
Nunc tardo videas greſſu grandire togatos.
Progenies plebeia fuit; generoſula nunc eſt:
Turba fuit; jam turma cluit, ſapienſq; Senatus,
Vno, qui ſuperat [d] *Sapientes* nomine *Graios*.
[e] Pangite Virgiferæ nova munia, pangite Muſæ.

Ecce nova hæc inter migrans de ſedibus imis
Et renovata Schola eſt. Sedet illìc proximus hæres.
Poſt [f] *Bathypogonem Niſus*: ſtudioſa juventus
Sub *Niſo* diſcunt Muſarum elementa Magiſtro,
Grammatici ut fiant, ut Rhetores, atq; Poetæ.
Grande docentis onus; magni, ingratiq; labores:
Sed [g] non magna nimis ſtipendia: munera nulla.
Non ut vult ratio, ſed ut indulgentia matrum
Fas præceptori virgam vibrare, nec unquam

c *Vberior hic eſt quæſtus ex pannificio, quàm panificio.*

d *Octoviralis γερουσία.*

e *Chorus, ſive* Echo *repetiti carminis imitatus Eclogam* Virgilii *octavam.*

f Barbalioris *ſucceſſor* Niſus *eſt ipſe* Priſcianus *perſonatus.*

g *Ludimagiſtrorum multorum querela verior, quam validior.*

Plectenda

Plectenda eſt meritis Puerorum audacia plagis,
Ne plagæ linguarum, & lis furioſa ſequantur.
Dicite Virgiferæ fera jurgia, dicite Muſæ.

Vicinæ ſenior [h] *Carbonius* incola villæ
Duxerat huc natum bino cum fratre docendum
Ævi ter ternos numerantem circiter annos.
De ſtipe conſentit genitor: *Carbunculus* intrat,
Aggrediturq; recens Latiæ conamina linguæ,
Qualia Colloquijs puerilia penſa miniſtrat
Caſtalio, & facili *Ciceronis* epiſtola textu,
Fabulaq; *Æſopi*. * *Canis* hìc eſt umbra *natantis*,
Hìc * *Lupus* inter *Oves*, ingratiq; hoſpitis index
* *Ruſticus, & Colubet*. Colubros tu, *Niſe*, caveto,
Fabula ne ſimilis de te narretur. Alumni,
Quos gremio accipimus Muſarum lacte fovendos,
Sæpe in nos acuunt viroſæ ſpicula caudæ.
Pellite Virgiferæ damnoſa pericula Muſæ.

h *Linguâ vernaculâ idem, quod ἀνδράκαρδον.*

i *Pretium annuum haud invidendũ XXs. Plus expectant, qui Orcheſtram, aut fidiculam profitentur.*

* *Æſop. Fab.* 4.

* *Fab.* 38.

* *Fab.* 7.

Rem narramus nõ fictam, sed factam.

Vix annum emensus *Carbunculus* iste secundum,
Non virgâ cruciante, minisvé exterritus ullis,
Audet abesse Scholâ, vacuamq; relinquere sedem:
Incertum num sponte suâ, jussuve parentum:
Sed neq; cum *Nisi* veniâ, (quæ libera patres
Discere sive velint, hinc seu discedere natos)
Nec prorsus, quæ pacta fuit, mercede solutâ:

1 Appello Iurisconsultos, num sine dimissione fiat manumissio.

[1] Absq; valedicto cassa est discessio. Talis
Cur puerum *Nisi* imperijs emancipet? Annón
Clàm fugiens miles tamen a Duce miles habendus?
Dicite Virgiferæ quàm justum hoc, dicite Musæ

Post aliquot menses semel huc, iterumq; recurrit,
Accediteq; Scholam, non plenam, ut sedulus hospes,
Sed vacuam, furtim irrepens, ut perfidus hostis,
Discipulis, *Nisóq;* absentibus. Improba quid non
Effræni pueri petulantia? Stabat ibidem

m Aristippus, Anglicè Bayard.

Fortis [m] Equus, sed non qui vicit *Olympia* cursu,

Trojano

Troiano potiùs ſimilis: fabricatus uterq;
E ligno, in pœnam [n] ſerò ſapientis uterq;.
Phryx plagis melior. Sic & [o] puer. Iſte Caballus
Non in perniciem, non urbis, ut ille, ruinam,
Sed curam imberbis populi, regimenq; ſalubre:
Hunc equitans petulans, temeraria, [p] tarda juventus
Sanior evadit, legemq; lubentiùs audit.
A [q] triplici ligno lignum hoc pœnale tuetur
Præcipitem ætatem. Nimis (ah miſerabile) multos
Virgis intactos tetigit ferale capiſtrum.
Dicite Virgiferæ virgarum commoda Muſæ.

Quid verò? nam quid meruit, *Carbuncule*, [r] de te
Noſter Equus, niſi quòd fueris rariſſimus illi
Inſeſſor, leni tantùm de verbere notus?
Vel niſi quid, pueris ne ſeſſio durior eſſet,
Geſtabat [s] floccis ſuffertam mollibus alvum?
Tu terebrare cavas uteri, & tentare latebras

n *Serò ſapiunt Phryges.*
o *Petulcum. Semper enim excipio modeſtiores, meliori ſydere natos, alba gallinæ filios, quibus nec umbrâ virgæ opus eſt.*
p *Qui negligentiâ tardiores, nõ ingenio, & naturâ.*
q *Patibulo, quod tribus cõſtat lignis, arrectario binis, et trabe tranſverſa.*

r *Puer hic à Niſo mollius, & lenius habitus eſt.*
s *Quoniam duriuſculũ videtur puerõ ita equitare, pulvillo quaſi molliore ſella ſublevantur.*

Non veritus, ſtrictumq; in viſcera mittere cultrum
Floccea diſpergens hinc atq; hinc ilia, rides
Sic elumbatas inhoneſto vulnere coſtas.
Plangite Virgiferæ nova vulnera, plangite Muſæ.

Hoc fortaſſe viri ſpecimen, vel milite digna
Laocoontea virtus erat æmula dextræ,
Qui ſacrum validâ temeravit cuſpide robur.
Vlteriora cano. Sed fœda, infanda. Favete
Auribus, & linguis, & naribus. Omnia vix eſt
Fas aperire mihi. Muſarum ſcilicet aram
Sic in haram verti, & nidum ſordere *Minervæ?*
Indignantis Equi dorſo, colloq; lutoſis
Inſultat pedibus. Sed & hoc leve. Vincula ſolvit,
Demittit bracchas, non pœnas ritè daturus,
Sed malè ſumpturus, damnum patiente Caballo.
† Vah! Mihi ventriculus narranti nauſeat. Audet
Sarcinulam in tergo miſeri deponere fœdam,

† *Pathos Scriptoris non excitat, ſed inhibet nauſeam lectoris.*

Quâ

Quâ [u] ſaturi, gravidiq; ſolent onerare cloacam:
Fortè ratus, ſe qui ſic viſcera ſparſit equina,
Inteſtinorum benè linquere farta ſuorum.
Aut forè cenſebat vindictam hanc [x] clunibus aptam,
Illa quòd in teneros fabricata eſt machina clunes:
Et, ne ſicca nimis quadrupes opſonia portet,
Funduntur largo latices cum flumine ſalſi.
Talia vix avidis apponas fercula porcis.
Plectite Virgiferæ tam turpia, plectite Muſæ.

Nullus ineſt natibus pudor, aut reverentia famæ,
Quæ tantùm norunt tacto [y] erubuiſſe flagello:
Se tamen, indecores quia ſunt, velamine condunt.
Sed minor huic fronti pudor eſt, quàm clunibus ipſis;
Scilicet in mediæ peccantem luce diei
Non texit tutis malè conſcia cura latebris,
Non cluſit metus ipſe fores: Sed janua cuivis
Intercurrenti fontem faſſura patebat.

u *Charientiſmo opus eſt, cùm Dea* Cloacinæ *ſacra vulgantur.*

x *Talio prior à* Poſteriore.

y *In cacù genùs erubeſcentia non pudorem, ſed dolorem.*

Fortè

Fortè ſuperveniens abiturum, limine in ipſo
Se componentem, diſcinctaq; vincla ligantem
Viderat [z] *Androgeos*. Se viſum ut ſenſerat, inde
Curſuſtercoreus puer aufugit, atq; in apricum
Ambulat expatians, & ſe popularibus addit:
Inq; foro jactat, captans à crimine laudem.
Dumq; recens ſcelus eſt, quod jam ſine teſte Patrarat,
Haud patitur ſine teſte tegi. Nempe unus, & alter
Niſi è diſcipulis ex ipſius audijt ore.
Hoſtem quàm validis ſternacem ſtraverat armis.
Scribite Virgiferæ facinus laudabile Muſæ.

Impubis repetens ſolitas poſt prandia ſedes
Turba ſtupet laceri deformia membra Caballi,
Atq; horret fœdæ ſpectacula ſordida ſtragis.
Sedula pars, plagas quæ non metuiſſe ſolebat,
[a] Indignabundi Muſarum opprobria lugent.
Sed pars improbior meritorum gnara malorum,

Mor-

z *Vnus è condiſcipulis Schola noſtra.*

a *Haud crebra eſt huiuſmodi indignatio.*

Mortifera hæc tortoris Equi fore vulnera [b] ſperant,
Proijciendum avidis olidum atq; elumbe cadaver
Prædam, non canibus, ſed flammis, affore longum
Virgis juſtitium, & puerilibus otia ludis.
Pellite Virgiferæ, prohibete hæc otia Muſæ.

b *Fures tripudiant, ſi fortè crux ferro, flāmavé corruat. Sed fruſtra: haud cogitant quercus omnes non eſſe abſumptas.*

Poſtmodò *Niſus* adeſt, circumſpicit, ambulat, inſtat,
Mirantes pueros ſed enim miratur & ipſe,
Inſolitum, ingratum [c] naſo perſentit odorem.
Abſq; cane, aut alio ſe produnt indice monſtra
Talia. Iam turpes oculis, & naribus horret
Exuvias, creditq; nimis, quod cernere vixdum
Suſtinet, arma (nefas) fidiſſima [d] vindicis arma
Iuſtitiæ, frænum puerorum, fulcra Scholarum
A pueris mutilata & conſpurcata tenellis?
Quid dicat? Quid non? Sed cùm hæc malefacta fugaci
A puero, qui ſe nido ſubduxerat antè,
Patrata audiſſet, taciturnus omittit: & horâ

c Niſus *non eſt adeo naris obeſa, ut hoc aut non perſentiſcat, aut non vindicet.*

d *Vindicativa iuſtitia annon vindicet ſuorum inſtrumentorum iniurias.*

Commodiore ſuum refici, emungiq; Caballum
Curat, & antiquum reddi per membra nitorem.
Fortior à ſævo ſic miles vulnere ſurgit.
Sumite Virgiferæ nova robora, ſumite Muſæ.

Septima jam *Phœbe* reparabat cornua. Victor
Ingeminaturus facinus redit, atq; ſecundos
Acturus, tulerat quia primum impunè, triumphos:
Non jam ſolivagus, fido comitatus *Achate*,
Vt felix habeat repetita audacia teſtem,
Adducit comitem. Simul hi vacua atria luſtrant,
Inq; Scholam currunt: vacuam credebat uterq;,
Sicq; aptam ſceleri. Sed non eſt proſpera ſemper
Improbitas. Duo diſcipuli maturiùs adſunt,
Et libros relegunt: Horum *Carbunculus* uni,
Quid libri legis? Ille genus, titulumq; recenſet
Authoris. Viſo, tum intercipit iſte, libello;

e *Regula iuris* Semel malus præſumitur ſemper malus in eodem genere mali.

f *Conſobrinum ſuum.*

g *Reliqui ſe-duliores horum ſolitam Scholæ adeundæ ante vertunt.*

Quàm

Quàm [h] fatuus, vobis qui talia ſcripta miniſtrat,
Præceptor? Vox hæc ſublimi digna flagello.
Auſus quinetiam virgam contingere, dextrâ
Vibrat: nec meminit ſua ſe tractare pericla.
Vimine Virgiferæ, quo ludit, lædite Muſæ.

h Carbuneulus *hæc, non Philippus, ſed Miſippus, lingua ſævit in ipſum Hipparchum.*

Improviſus adeſt *(ſors ô percommoda!) Niſus.*
Hortatur comitem fari, quo ſanguine cretus,
Cur veniat memoret, num fiat ut hujus alumnus,
Diſcipuluſq; Scholæ? Reſpondens advena dicit,
Illi ſe comitem, conſanguinitate propinquum
Adveniſſe ſimul. Sed ab hoc converſus ad iſtum
Niſus ait: Tu [i] noſter ades *Carbuncule*, ſalve
Expectate diu, & fruſtra: puer optime, noſtræ
Te Muſæ, Geniuſq; Scholæ, pueriq; ſodales
Optabant reducem multis jam menſibus. Annon
Nunc oblita tibi, Schola quæ te noſtra docebat?
Sed quiddam eſt, noſtris quod non didiciſſe videris

i *Niſi hæc pronunciaturâ Scholarchâ voce cenſoriâ, Ironicâ, & Sarcaſticâ non ſatis tinniunt.*

Præceptis: inſons ſenſit tua tela Caballus,
Fulmine læſa tuo doluerunt viſcera, terga
Inſami fœdata luto, atq; aſpergine tetrâ.
Tum virgam poſcit: deprompta eſt virgula vindex.
Tollite Virgiferæ, ſublimem tollite Muſæ.

Conſcius ille ſibi, Meritum [k] non deprecor, inquit,
Supplicium: non hoc me perpetraſſe negabo.
Sed tam triſte genus pœnarum avertere quæro:
Sontem caſtiga baculo, non vimine. Contrà
Niſus ad hæc: Tua ſed peccarunt poſteriora;
[l] Poſteriora luent, in Equum, turpiſſime, noſtrum,
Iamq; veheris Equo (ſic talio poſcit) eodem.
Talia Virgiferæ pro talibus addite Muſæ.

k Hoc ſolum in audaci puero probandum, quòd non ita fuerit audax, ut negaret ipſum ſpecimen audacia ſua.

l Talio poſterior à poſteriore.

Protinus aſcendit reparati dorſa Caballi.
Sentit Equus pondus, nulliq; lubentiùs unquam
Submittens oneri, ſolatur priſtina juſtis

Vulne-

Vulnera verberibus, ſimul intus [m] adhinnit ab imis
Ilibus: his phaleris, iſto ſeſſore ſuperbit.
Sed cohibens iram ſuavi moderamine *Niſius*,
Noluit aſperiore manu, triſtivè flagello,
Quamlibèt audacis, pellem lacerare puelli,
Noluit [n] *Orbilius*, nec in hoc, plagoſus haberi.
[o] Quattuor inflixit tantùm mediocriter ictus
Plures optet Equus; plures daret arbiter æquus.
Plaudite Virgiferæ, modicùm ſed parcite, Muſæ.

m *Hyperbole tolerabilis, quia de Caballo ad tolerandum nato.*

n Horatii *præceptor, quem Plagoſum nominat, ſatis* Niſo *diſſimilis.*

o *Quatuor, quia Equus quadrupes videbatur is eam ſententiam quaſi pedibus ire.*

Clementes pœnas, & ſecum molliter actum,
Viginti plagas ſeſe expectaſſe fatetur
Sponte puer. Sed, ne ſceleris contagio ſerpat
Longiùs, exemploq; magis, quàm crimine lædat,
Ex Præceptoris juſſu, [p] normaq; Scholarum
Submiſſè veniam à ſocijs ipſoq; precatur.
Figite Virgiferæ legem hanc, ne temnite, Muſæ.

p *Qui duriore ſunt corio, meliore fronte, ab improbitate publicis huiuſmodi ſubmiſſionibus magis, quàm verberibus deterrentur.*

Se non juſta modò, ſed grata parentibus ipſis
Cenſuerat *Niſus* feciſſe, ſibiq; daturos
Hunc, atq; hanc meritas duplici ſub nomine grates,
Quòd caſtigaſſet, quòd miti verbere natum:
Primum laudâſſet prudens pater, atq; ſecundum
Indulgens mater. Sed qui placuiſſe putabat
Ambobus, contrà ſatis hoſtes repperit ambos.
Heu ſortem inviſam, & cœptis contraria noſtris
Fata! Laboriferos quæ tædia, bella Magiſtros
Horrida bella manent, & inexpectata parentum
Litigia! Heu q quâ prompta bonis mala gratia factis!
Rumpite Virgiferæ calamos, & ſcrinia Muſæ.

q Odiſſe, quàm d onaſſe, viliùs conſtat. *Martial. Epig.*

Menſis abit. *Niſo* occurrit *Carbonius*. Illi
Niſus in auriculam, Bone vir, ſtipendia reſtant
Debita jam toto binis pro fratribus anno,
Natis nempe tuis: & opus mihi: da rogo. Clamat
Ille; Mihi potiùs reddenda pecunia: Natis

Haud

Haud nimiùm bonus es. Reſpondet *Niſus*, Abunde
Laudabas operam veſtra erga pignora noſtram.
Quis tibi nunc videor? Sed me docet alta vetuſtas,
Vt quimus, cùm non, ut quærimus, eſt adipiſci.
Luce ſequente redit comitatus [r] conjuge, & irâ,
Cauſſatuſq; moras, tandem ſe debita dicit
Solvere. Tum numerat nummos, ſed parte minutos
Octava: &, quaſi ſic ſtipendia tota dediſſet,
Vult ſibi ut abſolvens [s] accepti latio detur
Conſignata manu *Niſi*, atq; à teſte probata.
Strictum hoc, atq; novum. Sed devorat omnia *Niſus*,
Cui ſtat damna pati potiùs, quàm bella. Figuræ
Rhetoricæ ſuadent *pro toto ſumere partem.*
Diſcite Virgiferæ tolerare incommoda Muſæ.

[r] *Vtra hárum comes tetrior?*

[s] *Vulgò* acquietantia.

Egregia interea conjux arma omnia linguæ
Promit, & accendens verbis odia aſpera diris
Imperioſa, minax vindictam, & prælia ſpirat,

Inſtigatq;

Inſtigatq; virum, quaſi nato cæde perempto
Vah! Quid in os *Niſo* bona *Carboniſſa* loquuta eſt?
Partem aliquam venti *Eumenidum* referatis ad aures.
Quis memoret ſparſas ſtrepitoſo è gutture ſordes,
Frendentes dentes, ſpumantia labra furore,
Inq; caput *Niſi* cumulata opprobria plauſtro
Digna, & rixivomas ſub aquis merſante [t] cathedrâ?
Quinetiam manibus, quaſi pugnatura, laceſſit.
At *Niſus*, quoniam nullum memorabile nomen
Fœmineâ in luctâ, nec habent convicia laudem
Mutua, congreſſum abrumpens, ipſamq;, maritumq;
In medio ſolos linquit, ſibi providus, arvo.
Bellax ille pater: bellatrix tu quoq; mater.
Impatiens mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, furialis tu quoq; mater.
Iurgia Virgiferæ fugite ô muliebria Muſæ.

Callidior pater. Ille ſinu concluſerat iras.

Namq;

t *Organum eſt librile hydrobapticum, ad animum ripas, ſitum, lingua fervors refrigeranda.*

Namq; ideo conſcriptā apocham nihil inde timenti
Sumpſerat à *Niſo*, [u] ne pugna reciproca turbet
Poſtmodò juridico facturum vulnera telo.
In jus ad flagrum rapiendus verbero *Niſus*.
Sic dominata viro vult implacabilis uxor:
Subditus imperijs vult & ſic velle maritus.
Ni ſereret lites, lis nempe domeſtica major
Auribus obſtreperet, nocteſq;, dieſq; gravaret.
Quid faceret? Turpe eſt ridendas texere lites;
Non urgere dolor. Pudor eſt qui ſuadeat illinc:
Iſtinc ſuadet amor. Pudor ipſi ceſſit amori,
Ceſſit & imperio. Sociæ menſæq;, toriq;
Vota negarentur? Poterat nec amata videri.
Xantippe tonuit, denſantur nubila: ſpiſſus
Irruet aut *Niſi* in caput, aut in *Socratis* imber.
Dicite Virgiferæ verboſa tonitrua Muſæ.

u *Ne malo nodo malus eunuchus adderetur, nempe ne* Niſus *in forum raptus iure itidem ageret de ſtipendio non ſoluto.*

Nulla mora eſt; juriſtam adhibent, de fonte dicarum,
Qui populo [x] *Placita* ad *Communia* panditur, exit

x The Common Pleas in weſtminſter Hall.

y A writ.

Schedula, quod vulgo y *Regis Breve* dicitur: illo
Mox capitur *Niſus*, geminoq; ſub obſide ſpondet,
Se reſponſurum præſcripto tempore: tempus

z The return of the writ.

z *Cunctarum* lux eſt *Animarum cruciatus*. Verùm

a The Plaintif.

a Actor quis? Puer ipſe, virum qui provocat, annos
Nondum bis-ſenos ſuperans. Sed & actio quænam?
Quod crimen? Gravis atq; atrox injuria, triſtes
Et tragicæ ambages, ampullæ ſeſqui pedales,

b *Stylus curiæ. Si quis alteri in turgio pilũ imminuerit, prodit tragica accuſatio de* inſultu *&* vulnere, *ita quòd de ejus vitâ deſperabatur. O ſorenſem exagerationem!*

b Quòd *Regis contra pacem vi Niſus, & armis*
Inſultum fecit, malè tractans verbere ſævo
Verberibus diris adeò, pleniſq; pericli,
De pueri vitâ ut deſperaretur. Adeſte,
O Medici, fuerint quàm latæ, quamq; profuadæ,
Mortiferiſq; locis inflictæ oſtendite plagæ:
Quot rivi, ſignum Lunâ ingrediente malignum,
Sanguinis, & quoties animâ fugiente relapſus.
Scribite Virgiferæ lethalia vulnera Muſæ.

Priſtinum miſeros laſſat puerile Magiſtros,

Priva-

Privatusq; labor: quòd si his accesserit extrà
Rixæ, & litis onus, quis tantæ pondera molis
Sustineat? Rapido luxatis turbine Musis
Quæ vis, quæ virtus? Genio quæ gratia fractæ?
Linquite Gymnasium Collegæ, linquite. Sceptrum
Abijcite: haud vobis virgam tractare licebit
Amplius indignis pueros qui verbere dignos
Iam castigemus vel molliter. Ecce parentes,
Quos decuit fundare Scholas, fundamina tollunt.
Plangite Virgiferæ virgarum incendia Musæ.

Sumite Collegæ nova munia. Discite Leges,
Suavi pro *Cicerone*, gravi celsoq; *Marone*
Brettonum, *Cocum*, *Plaidonum* evolvite, cæcas
Caussarum latebras, labyrintheosq; recessus,
Et bis-senorum [c] rata *Veredicta* virorum
Versate: at memores iterumq; iterumq; quotannis
Currere [d] *Londinum*, pedites, si curta supellex
Non det quadrupedem. Nodosos solvite casus,

c The verdicts of Juries.

d *Temporibus fastis, qui vocantur Termini. Ibi cùm quatuor sint, nunquam ex iis Ludimagister procudet Syllogismum Logicum.*

Num ſiet *illicitum* cenſoria virgula *telum*?
Plaga *ad quod damnum*. Quid poſsit *jure* Scholarcha
Se defendendo proprij intra mœnia fundi.
Si nil tale habeant *Rotulorum* exempla priorum,
Nunc dabitur [c] *Verſus Niſum Carbunculus*. Ecce
Niſus, jam primùm *Niſus* miſer ambulat in jus.
Non metuit vinci, ſed ſic pugnare moleſtum eſt.
Prælia Virgiferæ lugete forenſia Muſæ.

[c] *In cauſis litigioſis, ſive cauſium inſcriptionum ſylua* Iohannes de Stiles verſus Iohannem de Nokes.

Signa canunt: *Niſo* bellandum, haud bella canendum;
Dextra tenet calamum, rapiat nunc altera ſcutum.
Surgite Virgiferæ, penſumq; abrumpite Muſæ.

Hæc perturbatæ conformia carmina menti
Effudi *Niſus*. Muſa eſt medicina. Poetas
Si non tutetur, ſaltem ſolatur [f] *Apollo*.

[f] *Apollo, ſi neutrum præſtet, exules in* Morhoniam, *vel* Fuſtitudinas *inſulas, vel (quod tetrius) in tum rapiatur.*

LVDI Magiſter Elte VeXatVr forI.

[1629]

FINIS.